

UM  
RUM  
E  
EINZIA  
UM





DIVITIARUM  
EVANGELICARUM

*Disquisitio LI.*

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnafii Hallenfis  
Rectore

*Respondente*

CHRISTIANO SIGISMUNDO RHETELIO  
Sagano Silefio.

*Dominica XX. poſt Trinitatis.*

*A. O. R. cl. l. c. III.*



HALLIS SAXONUM

*Prelo Heredum Melchioris Oel  
ſchlegelij*

*Ino Unge*

*Genere, Artis Medicæ usu, aliarumq; rerum cognitione multiplici, Nobili, Clarissimo atq; Excellentissimo Viro*  
*Dn. Licent.*

**SIGISMUNDO RHETELIO** Reip.  
Patriæ, quæ est Saganæ Silesiorum, Archiatro felicissimo.

UT ET

*Clarissimo, Spectatissimo & Eruditissimo Viro Dn.*

**M. HEINRICO RHETELIO** ejusdem Reip. à Secretis, Parenti suo jugiter venerando.

ITEMQ;

*Reverendis, Clarissimis & Doctissimis Viris, Dnn.*

**M. JACOBO TZIMMERLICHIO,**  
& **JOHANNI TEUBERO,**  
Ecclesiæ Saganensis Evangelicæ Mystis solertissimis,

NEC NON

*Literatissimo, Integerrimo Viro Dno*  
**FRIDERICO CRUSIO,** Reipubl. Patriæ civi primario.

*Cognato, Parenti, Fautoribus & Promotoribus suis singulariter colendis*  
hoc observantiæ monumētum statuit

**RESPONDENS.**



ANALYSIS  
**EVANGELII**  
 DOMINICA XX. POST TRI-  
 NITATIS.

*Matth. 22. c. à vers. 1. ad 14.*

ANTIPAGMENTUM.



*Has vero Regi Persarum  
 Satrapis suis convivium ap-  
 paranti potentia sua decla-  
 randa gratia Regina Vasti,  
 cum aliis separatim qua  
 epulabatur, invitata vero  
 formae ejus ostentanda causa parere & appare-  
 re noluit Esth. 1, 12. Sed venire abnuentis im-  
 pudentiam punit ejusdem repudio & novo  
 Estherae conjugio v. 19. Simile in presenti Ev-  
 angelio.*

THESIS I.

*In quo habetur partim parabolica tra-  
 ctatio,*

ctatio, in qua tum est hospitem honoratio-  
rum vocatio generaliter, & quidem modi  
declaratio. v. i. In quo subjectum, continens  
formam: Et respondens, *id est, sermonem or-*  
*diebatur, ac continuabat sine precedente inter-*  
*rogatione, velut novum subiiciens more He-*  
*braeorum, uti usurpatur Matth. 11, 25. c. 15, 15.*  
Non enim varios hinc inde sermones inter  
Christum & Iudeos fuisse agitados verisimile  
fit: quia Evangelista diligenter annotant, quid  
diebus ante passionem proximis Christo obtige-  
rit: neq; quod glossa ordinaria habet, intelli-  
gitur, ac si pravam ipsorum cogitationem de  
morte sua revelare voluerit, quia & id ipsum  
solent Evangelista recitare, ut Matth. 9, 4.  
Marc. 2, 6. Luc. 5, 22. vel certe ex ipsis verbis  
Christi colligi potest Luc. 7, 40.

2. Et personam: Jesus. De eo enim agitur in  
quo omnis salus nostra vertitur Act. 4, 12. Ut  
discamus ipsum vel maxime nobis voluntatem  
Dei ex sinu Patris Joh. 1, 18. revelasse.

3. Prædicatum habet accidens: iterum.  
Requirit hoc objectum, nempe locutus Prin-  
cipibus Sacerdotum, Scribis, Senioribus, &  
Phariseis. Quod enim in precedente parabo-  
la dixerat regnum Dei a Iudeis propter impie-  
tatem auferendum, & alteri genti dandum;

id hic

id hic evidentius iterum explicatur. Neque enim suffecit Christo semel monuisse, sed uerū iterumq; sapius eadem inculcat. Unde nec Apostolum Paulum pignit sapius eadem scribere. Quo discamus Doctores & Praeceptores debere sapius suis auditoribus, usq; dum recte intelligant & percipiant, eadem proponere.

4. Et effectum in genere: dixit. *Uti locutus est*: statim enim additur λέγων. Nam εἰπεῖν pro λαλεῖν saepe usurpatur: aliās εἰπεῖν de predicatione in publico λαλεῖν de colloquiis communiter accipitur: tamen Scriptura non ubiq; ita distinguit. Interim discimus non esse excogitatum sermonem humano arbitrio, sed ex mandato Patris.

5. In specie obiectum: eis. Nempē Phariseis & Principibus Sacerdotum cum quibus ipsi negotium erat. Ut discamus sermonem dirigere ad praesentes maxime, non absentes, sed aduersarios eos refutare, qui vel maxime adsunt.

6. Et modum in parabolis. Hoc est, parabolicè, ut prioribus adhuc aliam subiecerit. Qui modus Christo fuit usitatissimus & simplicissimus propter scripturarum  
 ad ha

impletionem Matth. 13, 34. Ne quis existima-  
ret novum atq; insolens hoc esse dicendi genus,  
etiam allegatur Psalm. 78, 2. Propter moris  
patrii observationem: Syris quippe familiare  
fuit ad omnem sermonem parabolas jungere,  
uti habet Hieronym. in c. 18. Matth. & pro-  
pter auditorum excitationem Matth. 13, 9. unde  
Hieron. in cap. 13. Matth. Christus perspicua  
miscet obscuris, ut per ea, que intelligunt pro-  
vocentur ad eorum notitiam, qua non intelli-  
gunt. Deniq; propter ad humilitatem invitatio-  
nem, ut auditores humili studio earum expli-  
cationem quaerent, habet August. in Psalm.  
140. ut qui caelestia capere non possunt, per si-  
militudines terrenas audire perciperent, ait  
Hieronym. in cap. 4. Matth. Doctoris enim  
est sese ad captum auditorum accommodare.

7. In specie occurrit vocantis cura,  
quam ostendit nuptiarum praeparatio. v. 2.  
In quo est protasis: simile est factum regnum  
caelorum. Id est assimilatum. Neq; in se ac per  
se tale est regnum caelorum, sed accidunt illi.  
Et quamvis in praeterito dicatur, tamen ex  
Phrasi Hebraea subintelligitur etiam praesens  
tempus & futurum. Et per regnum caelorum  
intelligitur regnum gratiae seu Ecclesia mili-  
tans, qua i. comparatur convivio, ad quod boni

& ma-



& mali invitati, quia 2. in hoc convivio aliquis non indutus veste nuptiali deprehenditur; quia 3. ex convivio iste in tenebras exteriores ejicitur; & quia 4. comparatur prandio quod cœnam solet precedere. Unde & regnum cœlorum dicitur Ecclesia, quia hic quodammodo sancti regnant cum Christo, ut habet Augustin. de civ. Dei. l. 20. c. 9. Et quia cœli Dominus inter illos habitat Lev. 3. 26. Dona & bona cœlestia distribuit. Unde regnum Dei in nobis esse dicitur Luc. 7. 21. Et quia cives militantis Ecclesie aliquando cives cœli erunt Phil. 3. 20. Unde Gregor. Hom. 38. Regnum cœlorum est congregatio iustorum: quia enim per Prophetam Dominus dicit: cœlum mihi sedes est. Et Salomon iusti anima sedes est sapientie. Ut discamus honorificam esse Ecclesie, ad quam vocati sumus, appellationem, & eorum, qui in Ecclesia sunt, dignitatem, quia dum eorum corda in terra nihil ambiunt per hoc ad superna aspirant, iam in eis Dominus quasi in cœlestibus regnat.

8. Apodosis habet notationem: homini regi. Quia, ut habet Orig. hom. 20. in M. Deus ita cum hominibus quasi homo apud homines loquitur, & dispensat homines non capientes dispensari in Deo. Neq. enim, addit.

Theophyl. in c. 23. Matt. apparet, ut est, sed  
 qualem decet, ut nobis se videndam exhibeat.  
 Sicut & quando ferarū naturas assumimus, fit  
 & ille nobis panthera & ursus & leo Olee 13,  
 7. Thien. 3, 10. Sed & Rex dicitur: Est enim  
 Rex Regum, & Dominus Dominantiū 1. Tim.  
 6, 15. regnat in cœlis per potentiā, in Ecclesia per  
 gratiam, in inferno per justitiam. Intelligitur  
 autem Pater cœlestis, qui talis. Ut discamus nos  
 habere Deum hominem quidem, sed & regem.

.9 Declaratio ab effectu: qui fecit  
 nuptias. Hoc est assumpsit humanam naturam  
 dum per unionem personalem sibi associavit,  
 ut interpretatur August. l. 1. quæst. Evang. c.  
 31. Quia dicuntur nuptie parate non convi-  
 vis, sed Regis Filio. Sunt alias quintuplices nu-  
 ptie in scriptura. 1. carnales hujus seculi dum  
 uxor & maritus fiunt una caro Gen. 2, 24. Luc.  
 20, 34. 2. Sacramentales inter Christū & Eccle-  
 siam Psalm. 45, 10. Ephes. 5, 2. 3. Spirituales &  
 mystice inter Christum & fidelem animam ex  
 Ol. 2, 19. 1. Corinth. 6, 17. 4. Cœlestes inter  
 Christum & Ecclesiam triumphantem ex  
 Apoc. 19, 7. 5. Personales inter λόγον & hu-  
 manam naturā ex Cant. 3, 11. Quales prima-  
 rio hoc loco intelliguntur: secundario sacra-  
 mentales secundum Hieron. in c. 22. Matth.

inter

inter Christum & Ecclesiam, quae tam ex Iu-  
 daeis quam gentibus congregata est, dum ex  
 omni genere hominum sibi sociavit Ecclesiam,  
 uti loquitur August. serm. 243. de tempore.  
 Etiam spirituales secundum Theophylactum,  
 non excluduntur cum se anima dederit in  
 huius viri nuptias, etiamsi fuerit aliquando  
 peccatrix: etiamsi meretricata est, si tamen  
 huic se viro tradidit, ultra eam peccare non pa-  
 titur, ait Orig. hom. 8. in c. 20. Exod. Unde &  
 sequentur nuptiae caelestes, uti Hilar. can. 22. in  
 Matt. interpretatur. Interim tunc rex nuptias  
 filio suo fecit quando, ait Greg. hom. 33. hunc in  
 utero virginis humanae naturae conjunxit. Et li-  
 cet Syrus interpretis habeat vocem, quae denotat  
 convivium tamen Ecclesia cum veris suis mem-  
 bris in hac parabola non confertur sponse, sed  
 hominibus ad nuptiale convivium invitatis:  
 nec servi dicuntur Ecclesiam tanquam sponsam  
 Christo adducere, sicut 2. Corinth. 11, 2. Apoc.  
 21, 2. sed convivas ad prandium nuptiale in-  
 vitare. Quare principaliter non intelligitur  
 ipsa Ecclesia, sed humana natura in Filio Dei  
 personaliter copulata, non ut serva, sed ut sponsa:  
 quia 1. in nuptiis huius seculi maritus & uxor  
 unum sunt sic & divina & humana natura  
 facta una persona. 2. Ut conjugii vinculum est

indissolubile, sic etiam unio personalis. 3. Ut sponsa reddatur particeps honoris & bonorum sponsi, sic & humana natura divinarum proprietatum: quia 4. ne per nuptias dissidia componuntur, sic per unionem inter Deum & homines. 5. Ut generatio sequitur, in incarnationem Filii Dei spirituales filii Joh 1, 12. 10. Ab objecto: Filio suo. Quis est Iesus Christus Dominus noster Psalm 20, 7. Pater enim Filio suo nuptias fecit. Unde dum ipse sit rex regis, Filius ipse quoque rex est, neque fas est Dei filium degenerem suspicari, sed aequalis sit (necessse est) fateri altitudini, & eiusdem penitus dignitatis Bernh. serm. 1. de Adv. Domini. Unde colligitur Patris celestis ineffabilis amor erga genus humanum, qui Filio suo sponsam elegit, non ex angelis, sed ex genere humano Eph 2, 6.

11. Et ministrorum prima legatio. v. 3. In quo forma: & emisit servos suos. Quemadmodum enim in nuptiis temporali- bus invitantur homines, tum ut sint testes legitima conjunctionis, tum ut dignitas conjugii asseratur, tum ut una cum sponso latentur, & pro novis sponsis precentur. Ita etiam in his nuptiis Patriarcha, Moses, Propheta, per quos promissiones publicatae de Messia, potissimum ve-  
ro fo-

321

rō Johannes Baptista, qui in diebus suis Euan-  
gelium suum inchoavit Joh. 1, 29. emissi.

12. Et finalis causa per se: ut vocarent  
invitados ad nuptias. Nempè Judæos, quos  
Deus sibi in pecuniam elegerat Rom. 9, 5.

13. Et per accidens: & nolebant ve-  
nire. Per quos illi omnes intelliguntur, qui  
noluerunt. Sic Noah invitavit Nimroditas  
& Loth Sodomitas, sed noluerunt: Propheta  
Judæos, sed noluerunt Matth. 23, 37. Ut discer-  
amus omnium contumaciam, qui Dei consili-  
um despiciunt Prov. 1, 35.

14. Et ablegationis iteratio. v. 4. In  
quo antecedens continet modum: tursus.  
Siquidem priorem vocationem contemserant,  
& ad ejus nuptias venire noluerant: nihilomi-  
nus tamen rex denuo illos vocat. Ut agnosca-  
tur Dei vocantis benignitas & longanimitas,  
dum non agit cum ipsis secundum meritum.

15. Et effectū, quoad personā: misit alios  
servos. Nimirū Apostolos, sed per virtutē Spi-  
ritus S. de super in ipsos effusi mutatos in viros  
alios & cum aliis novos servos Stephanū, Pau-  
lum, Barnabam, qui post Christi resurrectio-  
nem denuo illos vocarunt, ut ad nuptias Filii  
venirent.

16. Et formulam, quæ habet manda-  
tum,

tam. Ubi instructio: dicite invitatis. Ideoq;  
non nuper, sed ante secula, inquit Chrylost.  
hom 70. in Matth. quod profecto crimen eo-  
rum auget. A quibus igitur vocati? Antea  
fuerant certe à Prophetis, & à Johanne, à  
Christo ipso, non verbis solum, verum etiam  
rebus: ut intelligatur quod nihil ommissum sit,  
quemadmodum Matthæus testatur.

16. Et declaratio in genere: prandi-  
um meum paratum. Prandium hic vocat,  
quod antea cœnam appellavit, eo quod in prio-  
ribus seculis revelatum fuit mysterium Theo-  
phyl. in c. 22. in Matth. Cœnam autem dixit  
quia novissimis temporibus & ad finem secu-  
lorum celebravit.

14. In specie, de quadrupedibus: tau-  
ri mei. Hoc est, optima animalia & pingua,  
qualia habuit Salomon in mensa sua regali  
2. Reg. 4, 23. Et denotatur Vetus Testamen-  
tum, habet Theoph. ubi animalia in sacrifi-  
ciis mactata sunt.

18. Et de aliis: & altilia mactata sunt.  
Ut sunt omnia ea, quæ potissimum aluntur ut  
pinguescant, ut ad ciborum suavitatem sint  
idonea, uti vox græca innuit. Quamvis & alia  
animalia intelligantur: cum illa quoq; dicantur  
altilia apud Athenæum l. 9. Jud. 6, 15.  
2. Reg.

2. Reg. 4, 23. altitium fit mentio apud prae-  
 pia : intelligitur verò secundum Theoph.  
 Novum Testamentum, ubi Spiritus sancti do-  
 na fuerunt illustriora. Primario intelli-  
 gitur Christus, sicut & Luc. 15, 23. per vitulum  
 saginatum praefiguratur propter sacrificia in  
 quibus adumbratus Jud. 6, 25. Ps. 50, 13. Tau-  
 rus dicitur quia in passione laboravit & jugum  
 peccatorum nostrorum in se suscepit. Ipse enim  
 nobis omnia factus agnus Joh. 1, 29. cervus ma-  
 turina Psalm. 32, 1. hinnulus Cant. 2, 9. gal-  
 lina Matth. 23, 36. Ipse est Filius Regis, Spon-  
 sus & cibus & potus, agnus maculatus Eph. 5, 2.

20. Consequens quoad apparatus :  
 omnia parata sunt. Ut nihil quicquam omif-  
 sum sit, quod ad splendidissimum & lautissimū  
 convivium requiri possit. Ut discamus ea, quae  
 requiruntur ad regnum gratiae & gloriae, antea  
 à DEO esse parata. Ex gratia enim provenit  
 Matth. 25, 16. Unde etiam mensam Psalm.  
 23, 5. preparavit.

21. Quoad invitatos : venite ad nu-  
 ptias. Ad quid invitavit, querit Chrysol.  
 hom. 20. an ad labores & afflictiones & sudores?  
 nequaquam : imò verò ad delicias & lautitias.  
 Ubi illud graecum deũ est amice invitantis.  
 Ut discamus Deum semper nos vocare & ad  
 nuptias

nuptias Filii invitare: ita etiam apud Esaiam  
 sicientes invitat Esa. 55. 1. Christus ipse Johan.  
 7. v. 37.

22. Tum vocatorum notanda ma-  
 litia, cujus forma est aliarum rerum cu-  
 ratio. v. 5. In quo in genere effectum  
 commune: illi neglexerunt. Uti primi no-  
 luerunt, qui sunt Epicurei, qui ex contumacia  
 vocatione ad coelestes nuptias repudiavit, quia  
 magis amant tenebras quam lucem Joh. 3, 19.  
 de quibus Christus conqueritur Matth. 23, 36.  
 Sic hic negligentes non tantum simpliciter, sed,  
 quod Syrus habet, spernentes, sicut Jerem. 4,  
 17. illa vox ἀπελεῖν usurpatur. Unde discitur  
 culpam non in Deo esse, sed in hominibus  
 nolentibus Osee 13, 9. Quid enim dementius,  
 inquit Chrylost. invenitur quam cum in nu-  
 ptias voceris, resistere? Revera sunt, habentes  
 cor, ut Bernh. l. 1. de cons. quod nec compun-  
 ctione scinditur, nec pietate mollitur, nec pre-  
 cibus movetur: minis non cedit, flagellis dura-  
 tur; ingratum est ad beneficia, insidum ad con-  
 silia, sevasum ad judicia, inverecundum ad  
 turpia, impavidum ad pericula, inhumanum  
 ad humana, temerarium ad divina, praeterito-  
 rum obliviscens, praesentia negligens, futura  
 non providens. Discam igitur curare, non ne-  
 gligere salutem nostram.



23. In specie ex objecto in agricultura: Et abierunt, alius in villā. In rus suum propriū, non impediti negotiis, sed negligentes nō venerunt, Chryf. hō. 70. in Matt. dū abierunt, vel ut colerent agrum, vel ut servorum in agris labores promoverent. Atq; ita cura rei domesticæ se impediri passi sunt, quō minus ad nuptias venerint, sed atiq; delicias huius mundi in bonis temporalibus acquirendis. Non quasi agros colere sit malum, sed negligere verbum & huic præferre agrum, hoc est pessimum.

24. In mercatura: Alius verò ad negotiationem suam. Ad mercaturam suam, ut ex ea lucrum querant: sequentes mundi pompam & gloriam; qui delectantur opibus, iam ante partis, qui mercaturam in ipsum templum receperant Matth. 23, 14. Non quasi mercatura sit mala, sed quia mercatura sepe numero sacris præfertur: Atq; ita magis curatur contra monitū Apostoli 1. Corinth 6, 29. Negociatorum enim genus avarum est, inquit Theoph. & lucri cupidissimū. Ostendit igitur parabola, quod qui a spiritualibus Christi nuptiis & convivio destituuntur ob has duas potissimū causas excluduntur, vel propter avaritiæ morbū, vel propter voluptates corporales ait Theoph. Hæc a se nō sunt peccata, sed Deo

pre-

preferendo ea fiunt peccata. Cavendū itaq; sedulo ne praposterè terrenis impediāmur: quia amor rerū terrenarum fiscus est spiritualium pœnarum. Aug. ser. 33. de Verb. Dom.

25. Et nefanda trucidatio. v. 6. In quo effecta violenta vocatorum, partim quoad famam, tum antecedens minus: aliqui verò tenuerunt seruos ejus. Non solum vocationē Regis contempserunt; sed etiam seruos ejus in vincula coniecerunt, docendi & vocandi libertatem ademerunt atq; verterunt humanitatem in crudelitatem ait Hieronym. in lib. 3. in Matth. 22.

26. Et consequens majus: contumeliis eos affectos. Accusarunt eos heresios, seditionis & aliorum scelerum. Hac enim *ὕβρις* per *ὄνειδος* & opprobrium exponitur Matt. 5. 11. Syrus reddit per vilipendit, quemadmodum & usurpatur Luc. 18. 33. per contumelias & maledicta.

27. Partim quoad vitam: & occiderunt. A verbis injuriosis ad verbera, imò ad eadem progressi sunt, qui est ultimus crudelitatis gradus. Et Syrus utitur eodem verbo, quo in adtationem tarrorum prius expressit: quod & ipsos macient non tantum quoad cogitationem, uti solent contemptores, sed quoad corpus,  
uti

nti dixit Christus Matth. 23, 33. Quemadmodum etiam contigit Johanni Baptista Matth. 14, 10. Apostolis Act. 11, & seqq. Ita Stephanus lapidatus Act. 7, 9. Jacobus decollatus Act. 12, 2. Paulus & Barrabas lapidati Act. 14, 5. Ut discamus hoc premium esse fidelium Christi ministrorum: interim non est atrocius peccatum quam contemptus verbi divini.

28. Et poena, estq; Dei indignatio. v. 7. In quo subjectum: Rex autem. Qui nimirum nuptias instituerat: quando invitabat ad nuptias & agebat opera clementia August. in Pl. 59. Hominis nomē antea appositum erat, nunc quando ad ultionem venit, homo siletur, & Rex tantum dicitur.

29. Prædicatum quo ad tempus: cum audisset. Tum contemptum vocationis, tum etiam injuriam servis vocantibus illatam. Audivit per conservos eorum, qui occisi erant, vel ab aliis. Unde discimus Deum videre omnia, que sunt in caelo & in terra, cum sit omniscius Hebr. 4, 13.

30. Quo ad effectus in genere: iratus est. Non statim quidem festinavit ad poenam, quod magnum longanimitatis argumentum, sed tamen iratus. Noli ergo Dei contemnere misericordiam, & non sentire vis justitiam, sed iram,

iram, sed indignationem, habet Bernh. sermo  
 1. in Epiph. quia non repudiatur vocans, sed ipse  
 legans 1. Sam. 8. 7. neque est res levis habere ira-  
 rum Deum cum sit ignis consumens Hebr. 12.  
 29. intelligitur ignis consummationis & con-  
 sumtionis ut loquitur Aug. cen. 2. in Psal. 58.  
 Ideoque non vult peccata, sed irascitur peccatis;  
 neque devovit quosquam ad supplicium Sap.  
 11. 25.

31. In specie quoad antecedens: &  
 missis exercitibus suis. Non tantum ultores  
 Angelos, sed Romanos intelligamus, monet  
 Gregorius, non de exitio populi Israelitici per  
 Assyrios, sed de paoletria populi Iudaici per  
 Vespasianum & Titum, uti habet Chrysoft.  
 Hom. 40. ut non de uno genere intelligatur,  
 sed de omnibus, uti & pene omnes exercitus  
 Dei vocantur.

32. Consequens quoad homines: per-  
 didit homicidas illos. Non eos, qui propter  
 mercaturam vocationem suam neglexerant,  
 sed homicidas, uti factum per paoletriam  
 Hierosolymitanam. Ut discamus homicidium  
 esse gravissimum scelus.

33. Quoad urbes: & civitatem illorum  
 incendit. Hoc est, Hierosolymam, que per dies  
 triginta & ultra à 19. Aug. usque ad 8. Septemb.  
 arsit.

arsit. Incendiorum quippe & bellorum Autor  
est Deus Amos 3, 7. & quidem incendiorum  
potissimum propter Sabbathi profanationem.  
Jer. 17, 27. uti bella oriuntur propter injusti-  
am. Paucis propter contemptum verbi divini: sed  
hec est semper indicat Cypr. l. de sing. Cler.  
incredulitas humana duriciei, ut non solum  
audiendo, sed & videndo non credat alteros  
interuisse, nisi seipsam interire viderit.

34. Partim de gentium vocatione be-  
nigna, cujus antecedens est indignorum re-  
probatio, v. 9. In quo est occasionis com-  
memoratio, & denotatur tempus: tunc.  
Idelicet cum audisset Rex invitatos nolle ve-  
nire: quin & servos insuper occidisse. Non  
quia tunc demum servos suos iussit abire ad via-  
rum exitus quando perdidit homicidas, &  
civitates eorum succenderat, cum constet sta-  
tim post resurrectionem Christi Apostolos ius-  
sus predicare Evangelium omni creature Marc.  
16, 15. Matth. 28, 19.

35. Et objectum: ait servis suis. Per  
quos vocaverat primo, quia per eosdem vocati  
sunt & gentiles post Christi resurrectionem; &  
quia ait, novum intelligit mandatum: dum  
ante prohibuit ire in vias gentium Matth. 10,  
6. modo jubentur ire in mundum univ-

Ti

sum -

sum Marc. 16, 15. Matth. 28, 19. Luc. 24, 47.  
Act. 1, 8.

36. Et est declaratio, de convivio, quoad antecedens: nuptiæ quidem paratæ sunt. Nullis enim perpercit sumptibus, nullis impensis, quo splendidum pararet convivium. Neq; Deus proprio Filio pepercit Rom. 8, 32. Hujus merita fuere sumptus hujus convivii, propter quæ omnia erogantur à Patre cœlesti ad vitam æternam necessaria. Ut discamus Deum quidem semper expandere manus suas, & omnia parata habere, modò accedamus.

37. Consequens quoad subjectum: sed qui invitati erant. Nempè Judæi v. 2. etiam alii: siquidem omnes vocantur ad nuptias Matth. 11, 28. Psalm. 19, 5.

38. Quoad prædicatum, ab indignitate: sed non fuerunt digni. Tanto nuptiarum apparatus, tamq; honorifica nuptiarum invitatione, quatenus nimirum Rex illos dignatus fuerat, & nuptiarum celebritate & gratuita vocatione, ipsi verò contemtu vocationis se ipsos indignos fecerunt Act. 13, 46. Neq; enim ex absoluto Dei odio, sed propter contemtum per vitium inemendatæ voluntatis discrimen est vocatorum, ait Hilarius canon. 22. Matth. Causa, quod inobedientes dicti sint, non est

§31

est Dei vocantis, sed quòd malam suam voluntatem opponerent Dei bona voluntati. Indigni ergò sunt qui seipsum honore isto spoliaverunt: sic & qui perit suo merito perit, & qui deficit non ex Dei opere, sed ex sua voluntate, Primas. 1. Timoth. 2. cap.

39. Et ablegatio, cuius mandatum est ex compitis convocatio v. 9. in quo est instructio formalis in genere: Itè ergò. Est illativa particula, quia illi, quos primo loco vocaverat, semetipsos indignos fecerant: ideo alios jubet querere. Ut discamus mandatis divinis esse obtemperandum, quando jubentur ire homines.

40. In specie quoad subiectum: Ad exitus viarum. Hoc est ad fines seu terminos, sive etiam ad transitus & compita. Et intelliguntur gentiles, qui extra Politiam Israelis erant Luc. 14. 23. Et quia longè plures quàm Judæi vocantur Deut. 7. 7. Unde compitis comparantur in quibus magna multitudo. Antea Rex suos ablegaverat in civitatem, modo extra civitatem in vias, quia Judæi fuerunt domestici Ephes. 2. 19.

41. Et quoad subiectum: Quoscumque inveneritis. Cuiuscumque sc. sint conditionis, status, ætatis: cum apud Deum non sit respectus

personarum Gal. 3, 29. Act. 10, 34. unde Basiliius M. in conc. de humil. Quid igitur te effers tanquam in bonis propriis? cum potius gratias agere pro acceptis beneficiis largitori debeas? quid enim habes, quod non accepisti?

42. Et causa fualis: vocate ad nuptias. Propterea quippe emissi. Atque sic Deus non solum ex Iudaeis, sed & ex gentibus vocavit populum, siquidem & gentes in Christo benedicende Gen. 22, 18. Gen. 28, 18.

43. Et mandati praestatio v. 10. in quo antecedens de vocantibus quoad effectus respectu ipsorum: & egressi servi illi in vias. Apostoli ab Hierusalē ad gentes: quod dicitur in viis quibuslibet, a mandato non discesserunt, cum iussi ire ad exitus, sed exactissime observarunt. Gentes ceperunt frui iis, quae Iudaeis parata erant Chryl. hō. 29. in Gen. Ut discam promptissimam servorum fidelitatem dum vigilant & implent ministerium 2. Tim. 4, 5 Videant ergo ministri ut partes officij, subeant non tantum quotidie, ut habet Helych. l. 6. in c. 21. Lev. sed & omni hora ea, quae ad salutem pertinent, instruant, reddituri olim rationem Deo de animabus Hebr. 13, 17.

44. Respectu aliorum: Et congregaverunt omnes. Non tantum invitant, sed etiam



etiam ipsis persuaserunt, ut ad convivium nuptiale venerint & Ecclesia sese aggregarint. Vnde Ecclesia dicitur congregatio Hebr. 10, 25. Exod. 16, 3. Lev. 4, 13.

45. De vocatis in genere: Omnes. Non distributive, quia multi ex omnium hominum genere vocati, sed collective intelligitur & universaliter.

46. In specie: quotquot invenerunt. malos pariter ac bonos. Vbi per bonos non intelligit solum Iudaeos, qui videri voluerunt boni & per malos gentiles, quos abominabiles judicabant Act. 10, 28. quia utriusque mali: sed bonos dicit non quod tales erant ante suam vocationem, tunc enim neminem esse bonum constat Rom. 3, 23. sed quod vocati tales fuerint facti per veram poenitentiam. Per malos vero hypocritas intelligit, qui externo saltem ore & verbis se Christianos profitentur, facto autem se bonos negantes 2. Tim. 3, 15. Ut discamus in Ecclesia visibili bonos & malos esse. Quousque enim hic vivimus, inquit Gregor. hom. 38. in Evangel. necesse est ut viam presentis seculi permixti peragamus. Itaque monet iterum quando in hac vita subsistitis, unanimiter malos tolerate: nam, quisque malos non tolerat, ipse sibi per intolerantiam testis est, quod bonus non sit.

47. Consequens executionis: & impletae sunt nuptiae discumbentibus. Significatur tanto numero hospites à servis fuisse congregatos, ut impleta fuerit domus secundum Syriū, conclave secundum Regium codicem, convivis nuptialibus, quia usitatum apud Hebraeos participia pro nominibus usurpari. Ut discamus multitudinem gentilium ad Ecclesiam vocatorum Mich. 4, 1. & plenitudinem Rom. 11, 25. simulq; certitudinem divinae praedestinationis, ut omnes, qui ad vitam praedestinati, ad nuptias ducendi, antequam finis mundi sequatur 2. Pet. 3, 9.

48. Consequens in genere est convivium lustratio, ubi defectus observatio. v. 11. in quo effectus, quoad modum: Ingressus autem Rex. In locum convivii, in quo discumbebant adducti à servis: Ideoq; ob dignitatem Rex in peculiari coenaculo cum suis amicis fuit. Ut discamus Deum cum sanctis angelis & animabus habere mensam suam Luc. 22, 30. sed in die novissimo iterum ingredietur. Quin per singulos dies venit discumbentes visurus, Chryl. hom. 61. in opere Hom. uti moneri: speculator enim adstat desuper, qui nos diebus omnibus actusq; nostros prospicit. Non itaq; intelligendum exclusivè, quasi Deus non vide-

*videret nec consideraret, sed inclusive, ante extremum diem.*

49. Quoad scopum principalem: ut videret discumbentes. Non itaq; ut honoraret convivium presentiam suam, sed lustraret. Ideoq; ad videre hic intelligendum cum effectu. Namq; videre sepe pro punire usurpatur Gen. 18, 21. Et tunc, inquit Autor imperf. operis rex ingreditur quando Deus tentat homines ut appareat quantum quisq; virtutis habeat: potissimum autem intelligitur de lustratione generali & ultima.

50. Et accidentalem: ubi vidit hominem non vestitum veste nuptiali. Per quam in sensu literali intelligitur vestis recens: quia fuit apud omnes gentes usitatum non solum sponfos exornare Gen. 24, 53. sed etiam convivas vestiri quod habebant a sponfis Jud. 14, 12. In sensu vero mystico unice intelligitur fides, precipuiq; fides effectus Gal. 5, 6 ita Aut. imperfecti operis nuptiale vestimentum fides vera, & Ambros. l. de fide c. 1. nuptiale fidei vestimenta vocat. Ea tamen fides qua operatur. Unde idem Ambros. l. 1. de poenit. c. 6 aliud est amicitius charitatis velamen gratiae. Ista tamen fides est, iustitia Christi, qua nobis imputatur, quia propter eam electi sumus 2. Thess.

2, 13. Et sine fide nemo Deo placere potest Heb. 11, 6. Intelligitur enim fides, uti dictum, salvifica et vivifica, non historica et diabolica. Ut discamus induere vestem nuptialem interne per fidem Ephes. 3, 17. externe per novum hominem Ephes. 4, 24.

51. In specie verò est increpatio. v. 12. In quo de hospite per salutationem ait ille: Amice. Amicum vocat, quia invitaverat non propter fidem, sed propter naturam hominis, quod ad imaginem Dei facta, ut vult Lyra, & Orig.

52. Et per interrogationem de aditu: quomodo huc intrasti? Arguit igitur impudentiam idcirco, non querit Rex, quibus artibus in ades regias irruerit: accusat non interrogat, non querit, sed arguit.

53. De habitu: non habens vestem nuptialem. Quod est, uti supra dictum, potissimum fides: Cum enim, inquit Maximus Taurinensis in vigil. Nativ. alius luceret fide, alius castitate fulgeret, ille solus conscientia foeditate cunctis splendentibus deformi horrore sordebat: Et quanto plus, simul discumbentium beatorum sanctitas, tanto magis peccatorum illius apparebat improbitas: qui potuerat minus displicuisse, si in consortium justorum

eminimè se dedisset. Quemadmodum enim, habet Chryl. hom. 41. operis imperf. si aliquis cum nigris vestimentis inventatur in nuptiis, sordidat gloriam nuptiarum; ita & qui opera habet tenebrosa & inter Christianos, quasi unus ex illis conversatur, ipsi Christianitati facit injuriam: sanè qui vult esse Christi, faciat opera Christi, qui non vult facere opera Christi, nec veniat ad Christum.

§4. Et de convivatore: At ille obmutuit. Non enim poterat amplius mentiri, quia Rex ipsius nuditatem satis videbat, neq; allegare se fuisse sollicitum, quia in cœlestibus nuptiis Rex cœlestis cœlestibus hospitibus omnibus ejusmodi vestem gratis offert: neq; poterat veniam petere, quia noverat tempus gratia præteruisse. Ut discamus, quod loquitur Gregor. hom. 38. in Ev. in instructione ultima increpationis cessare omne argumentum excusationis, Ideoq; dum adhuc tempus est, loquamur, confiteamur peccata nostra, ne in die judicii obmutescere cogamur.

§5. Et in tenebras deturbatio, v. 13. in quo ratione objecti: tunc dixit Rex ministris. Cum quidam positus obmutuerit, præcepit ministris: quia Hebrais dicere idem est

T i s . . . quod

538

quod precipere 1. Reg. 11, 18. Et ministris, quia ministrorum opera in vocando fuerat usus, ita etiam in puniendis: nam illi dicuntur δῆλοισι ἱστί Διαconi, unde Syrus servos iustitia distinguit à servis gratis, & intelliguntur angeli boni, non mali Matth. 13, 41.

56. Ratione effecti quoad antecedens: ligatis pedibus & manibus eius. Quod non pertinet ad connexionem parabola, sed ad explicationem, quia impii & hypocritae non potuerunt resistere executioni aut sententia damnatoriae, non potuerunt ex infernalibus poenis eluctari.

57. Consequens quoad privativa, quoad modum respectu expulsionis: Tollite eum. Et auferte ex conspectu meo. Iubet ergo ut convivam ministri comprehendant. Significatur autem quod hypocritae in die novissime non verbis tantum, sint redarguendi, sed etiam sint excludendi.

58. Quoad locum: & ejicite in tenebras exteriores: id est in infernum: per tenebras enim privatio lucis intelligitur, Deut. 28, 29. caligo spiritualis, Ela. 9, 2. per vexillas voluntatis Eph. 5, 11. morsus conscientiae Job. 17.

59. Et quoad positiva: Ibi erit fletus &

& stridor dentium. *Quae duo Christus semper coniungit, quando infernalium tormentorum facit mentionem Matth. 8, 12. Matth. 13, 42. & 50. cap. 25, 30. Luc. 13, 28. Quod principalia sunt in inferno, ut habet Augustin. de triplici habitaculo c. 2. frigus intolerabile, & calor ignis inextinguibilis, erit fletus ex calore, stridor dentium ex frigore, Bernhard. serm. 8. Psal. qui habitat.*

60. Tandem Epiphonemata applicatio. v. 14. In quo de vocatione respectu subjecti: Multi. *Per quos intelliguntur universaliter omnes, uti alias quoque usurpatur Rom. 5, 18. 9. Dan. 12, 2. quia non solum illi intelliguntur, qui venerunt ad nuptias, sed illi, qui venire recusarunt; & quia nuptiae paratae sunt pro omnibus Rom. 8, 22. & quia est omnium popularum Salvator, dum Iudeos & gentes vocavit; & quia est in Novo Testamento omnium locorum, quia servos ablegavit ad exitus viarum.*

61. Prædicatum: sunt vocati. *Per ministerium, dum iussit predicari omni creaturae Marc 16. 6 doceri omnes gentes Matth. 28, 19. Nemo itaque credit non vocatus, sed non omne credit vocatus, habet Augustin. l. 1. quest. ad Simpl. q. 2.*

62. De

62. De electione, quoad subiectum: pauci verò. Per quos intelliguntur qui propriè electi, non enim omnes sunt. Multi vocati per fidem catholicam, sed pauci electi per gratiam.

63. Et prædicatum: electi. Ubi distinctio inter ἐκλεκτὸς & ἐκλελεγμένους nulla est: siquidem scriptura indifferenter utitur his vocabulis Mathe. 13, 20. & ad Corinth. I. 27. Electi autem sunt pauci, quia in fide antequam iacerentur fundamenta mundi, electi sumus, Ephel. 1, 4. Non quòd Deus simpliciter eorum salutem & horum damnationem absolute voluerit; sed quòd vocati se indignos electione ad vitam reddiderint. Atq; sic vocatorum crimen est, habet Chryl. hom. 7. in Matth. non vocantis. Etsi, habet Gregor. hom. huius Evangel. 38. Quòd vocati sumus novimus: quòd electi non novimus. (à priori de futuro.) Tantò ergò necesse est ut unusquisq; nostrum in humilitate se exprimat, quantò si sit electus ignorat orantes ut virtute Dei ad salutem custodiamur 1. Pet. 1, 5. quia electi sunt de mundo electi, Joh. 15, 16. quia non omnes in libro vite Dan. 2, 1. nò omnes in Christo ad Eph. 1, 4. unde non sunt in ista vocatione, qui in fide, qua dilectionem operatur, aliquantulum ambulat,



bulant, non usq; ad finem perseverant August.  
lib. de corruptione & gratia c. 7.



NOTA.

I.

Quidam sese excusarunt.) Con-  
sidera duo genera hominum se ex-  
cusare, visentes villam & negotiatores,  
id est, voluptarios & avaros; ut discas  
utrumq; vitium cavere.

II.


Iussit abire.) Considera in locum re-  
cusantium invitatos esse ex publicis vi-  
is; ut discas, humilitatem sectari, si ve-  
lis invitari.

III.

Non habens vestem nuptialem.)  
Considera hominem licet interfue-  
rit nuptiis ejici; ut discas, talis semper  
intus esse in conscientia, qualem te ex tuis  
verbis & operibus ostendis esse; Et sic non

tan-

*tantum inter multos vocatos: sed etiam  
inter paucos electos.*



### CASUS.

**An exceptio absentiae non  
excuset?**

**V**idetur: 1. Quia nemo in auditu de-  
bet condemnari. At qui, qui excipit,  
non auditur si condemnatur.

2. Jura volunt illum non esse contu-  
macem, qui etiam causas frivolas allegat  
l. non potest 299. ff. de R. l. & l. igitur.  
12. §. potest ff. de liberal. caus.

3. Appellatus non comparens ut  
contumax non damnatur Coler. part. 1.  
104. decis. n. 26. Hartm. Pistor. q. 3.  
num. 18.

**Contra:** 1. Hic excipiunt & alle-  
gant causam absentiae, & tamen DEUS,  
ut qui justus judex, exsequitur contra  
illos.

2. Con.

2. *Contumax ille, qui citatus non comparet, quando non agit quod vult superior l. uni. ff. de excus. l. 1. si quis jus dicenti non obtemperaverit. c. cordi. §. fin. X. de appell. Et ille verus est contumax, qui se venturum negat Bart. in l. ubi. n. ii. ff. de in integr. restit. qui cum possit parere noluit. l. 73. in fin. ff. de judiciis. l. 23. ff. de appell. Et toties verò contumax, quoties constat vocatum citationis scientiam habere, neque tamen comparere voluit.*

3. *Non audiendus, qui frivolis utitur excusationibus l. 2. §. ult. ff. si quis caut.*

4. *Contumax in expensas condemnandus, ex communibus Carpzov. l. 3. R. 26 n. 5.*

*Ad contraria: Fall. causa. i. Non omn<sup>is</sup> exceptio relevat: isti enim promiserant Et non denegaverant, aliàs enim non parata fuissent omnia, nisi voluissent comparere. Estq. de ultima citatione, non de prima intelligendum.*

*Ad 2. Est petitio principii: nam  
debet*

544

debet probari saltim ſūmariter qui ab ſq̄  
dolo facta, Zang. de except. par. 2. c. 9.  
n. 12. Damhoud. in pract. crim. c. 25.  
num. 9.

Ad 3. Longè alia ratio Rei & Ap-  
pellati: ſiquidem ille iudicem contemſit ſta-  
tim, hic non itidem, deinde in appellatione  
ex actis antea deductis de iuſticia conſtare  
potest, l. per hanc C. de appell. c. per tuas.  
X. de appell. in prima infantia non aequè.  
Non itaq; Appellantis atq; Actoris ita in-  
terest ut rerum eſſe præſentem. Quid igi-  
tur obſtat quo minus ſtatim iudex ſuper  
gravem inter Appellantis punctis prima  
iſtantie actis cognoſcat: ut proinde Ap-  
pellatum contemnalem ad legitima impe-  
dimenta condemnare mense hant ſit.

Accedit porro ut in ſecunda iſtan-  
tia ſimul de iniquitate prioris iudicis aga-  
tur c. interpoſita. §. ſanè. X. de appell.  
Ita iudex inſimularetur iniuſticia, ſi pro-  
pter contumaciam cauſa Appellatus cõ-  
deret Hautm. q. 3. n. 18.

**C**onsulit illis sibi benè, qui sibi cōsulit eug.  
Ut si quando vocat, pareat ille Deo.  
De quo respondens Phariseus rursus Iesus  
Ex allegoriis mystica verba tulit.  
Est homini regi cœlorum nubile regnum,  
Qui nato festum conjugiale parat.  
Emisitq; suos tunc in vltare vocatos:  
Ast hi nolebant forte venire tamen.  
Hinc alios misit, dicentes: Euge venite!  
Altille cum tauris, cuncta parata, patent.  
Hi neglexerunt abeuntes: alter ad agrum,  
Alter mercatum, pro ratione status.  
Quin servos alii tenuerunt, scommasi diris  
Affectos, plane quos necuisse iuvat.  
Rex ob id iratus missa legione trucidat  
Latrones, urbis perdidit igne domus.  
Et dixit servis: mea prandia cuncta parata,  
Dignus at his epulis non tamen hospes erat.  
In reliquas properate vias, quoscunq; vocate,  
Sin quicunq; velint, hospes & omnis erit.  
Tunc abiere vias legere bonosq; malosq;  
Factaq; convivis tota repleta domus.  
Rex at ut ingressus convivas cernere, quendam  
Tunc convivali veste carere videt,  
Cui cito dixit: amice, refer qui veneris isthuc,  
Digna veste carens: Totus & ille tacet.  
Rex at ait servis, manibus pedib; q; ligatis,  
Projiciatur ubi fletus, ubiq; dolor.

Sunt

Sunt etenim multi, ceu constat, ritè vocati,  
Electi pauci sunt tamen inde boni.  
Omnes quippè Deus vocat, ad convivium Fili,  
Tartara qui renuit, qui venit, astra subit.  
Talia RHETELIUS proponit. Talia pergat!  
Et benè sic rebus consulat ille suis.

testatur GURINZIUS.

**I**mmensum videas summi mortalis amorè,  
Mireris dotes munificasq; Dei.  
Ad tadas etenim labis te gurgite mersum  
Convocat, in celsâ sede locatq; Poli.  
Sic Dominus terrenis consulit atq; saluti  
Optima, quisq; venit, consulit ille sua.  
Hæcce suis monstrat thesibus RHETELIUS, & si  
Continuat, laudes posthuma terra canet.

Jeremias Horn Gôrlicio-Lusatus  
Phil. & S.S. Theol. Stud.

Ἐγραμμένον ὅτι καλεῖς Ραιθῆλε θεοῖο, ἀγαυῶ  
Τεῦ ποτε κοσμήσθ. σεφεί ὁ μνηστὸς Ἰησῦς.

Hæcce suo Rhetel. transmit. Jehnâ.

Carolus Zeidlerus Muscov. Lusacius  
Phil. & SS. Theol. Stud.

**H**os, mi Rheteli, susceptos laudo labores:  
Nam varios nodos solvere sic poteris:  
Multa tibi ex sacris cõitabunt verba rogatq;  
Ut reddas: vero consona lingua dabit.  
Cecropii conare bonas invenere chartas,  
Gaudia tunc Patri, sed tibi consul eris.

Ludovicus Bruxius Sprottâ Siles.

02 A 572  
(1/2)

ULB Halle 3  
003 808 483



VΦ 17



EVANG.

CHRIST

HALL

Q2 C



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

ARUM  
LICARUM

isitio Ll.

ESIDE

O GUEINZIO

ii Hallensis

ectore


ndente

GISMUNDO RHETELIO

no Silesio.

X. post Trinitatis.

cb. lcc. III.



SAXONUM

m Melchioris Oel

chlegely

Ino Unze

